Universitätsbibliothek Paderborn

Thronus Dei Maria Deipara

Spinelli, Pietro Antonio

Coloniæ Agrippinæ, 1696

Infideles Diensem arcem oppugnantes Deiparæ patrocinio profligantur. nu. 58.

urn:nbn:de:hbz:466:1-46853

Visual Library

ingens hujus Tyranni claſſis poſt biennium ad Echinadas Inſulas deleta, ejusque audacia mirificè eſt compreſſa.

INFIDELES DIENSEM ARCEM OPpugnantes Deipara patrocinio profligantur.

Magna de Infidelibus victoria Deiparæ patrocinio à Luſitanis conſecuta.

58 CUm anno reparatæ ſal. 1546. Mamudij Cambayæ Regis in India potentiſſimi ingentes copiæ externorum, & selectorum militum 20. mill. (præter Guzaratas, & Indos milites indigenas, quorum major erat numerus) omni armorum, & telorum genere inſtructiſſimi Sophare primum, illo autem in bello extincto, Rumecanæ ejus filio totius exercitus Duce, Dium Luſitanorum arcem præfecto Joanne Maſcarenia acri obſidione ſeptimum jam menſem cingerent; eamque æneis tormentis, alijsque bellicis artibus omni contentione oppugnarent: Luſitani verò 250. deinde novo circiter militum ſubſidio aucti diu tantam belli molem ſuſtinerent, quibus poſtea milites 90. & tandem Ioannes Caſtrius Indiæ Prætor ſuppetias venere. Prætor igitur cum tribus ferme armatorum millibus ea ipſa, qua in Dium Arcem pervenit, die quæ in 11. Novemb. incidit, eruptione facta tantam hoſtium ferocium; ac bellicoſorum multitudinem aggredi auſus de eis non minus admirabilem, quam glorioſam victoriam reportauit, quippe ex ſuis circiter 60. deſideratis quatuor millia hoſtium cum Duce exercitus Rumecane ſunt interempta, 600. vivi in ijs Principes, aliquot in poteſtatem venerunt, reliqui omnes perfligati. Verum id Deiparæ beneficio eveniſſe apertis indicijs affirmat Maffejus lib. 3. Hiſtoriarum Indicarum his verbis: Celebritatem hujus victoriæ auxere divina miracula, quod hoſtes ipſimet affirmarent, conſerta jam pugna majores aliquod belliſtas applicitum quater ignem Cœlo minime pluvio reſpuiſſe; & ſuper ædiculam arcis apparuiſſe MVLIEREM Cæleſti lumine radiantem; cujus fulgor ita aſpicientium oculos, mentesque perſtringeret, ut cæci propemodum, neque in ordine ire, neque in unum conglobare ſe poſſent, ac tanto ſuperiores numero tamen immutata repente rerum omnium ſpecie, ut in denos Luſitanos pugnaturi ſinguli viderentur, inde conſternationem, & fugam ortam. hæc Maffejus.

Maffejus.

INGENS ANGOLÆ DE BARBAris Deipara auxilio parta victoria.

Ingens de Barbaris victoria per Deiparam.

59 IN Angolæ regione ad oram Africæ ſita Luſitani milites in præſidijs verſantur, complures quoque ex indigenis Æthiopibus cum ſuis Principibus, ſeu Regulis Chriſti fidem ſuſceperunt. Patres verò Soc. Jeſu ab anno ſal. 1560. quo primum Luſitani eo venerunt, ibi commorari cœperunt, egregiam tum Luſitanis, tum etiam Æthiopibus navantes operam, adeò ut in literis noſtrorum anno 1590 20. mill. æthiopum numeretur, qui noſtrorum diligentia Chriſto erant aggregari. ibi ergo ab anno 1583. Angolæ Rex per ſuos Duces innumerabili Aethiopum militum multitudine bellum bis intulit Luſitanus, in quo Deiparæ patrocinio Chriſtiani numero pauci confertiſſimos Angolanorum diſſiparunt ſtraveruntque exercitus, quomodo autem id factum ſit ijsdem verbis referam, ex litteris annuis Societatis noſtræ anno 1587. eleganti ſtylo editis à Franciſco Bencio, ubi de ſede Angolana agit in Provincia Luſitania, ad quam ea ſpectat, quamvis ad ſuperiores annos, quemadmodum idem Bencius ſignificat, id pertineat. Bis, inquit, hoc anno commiſſum eſt prælium; hoſtesque ejecti, ac repulſi. Quin etiam res accidit omnino mirabilis, Luſitani erant ferè duceni, fœderatorum Aethiopum 10. mill. ſub ſignis habebant. Hæc tantula manus tota ſexcenta adverſariorum millia fudit, fugauitque & quod alioqui incredibile videatur, incruenta prorſus victoria: cujus quidem auctor non immerito creditur Virgo ſanctiſſima, quam præcipua quadam chriſtiani Aethiopes obſervantia venerantur. Affirmauit opinionem; quod cum magna vis hoſtium in noſtrorum ſubſidia, quæ tenebant Aethiopes, de repente irruiſſet, ſeque illi ad Ducem Luſitanum recipiſſent, abjectus oneribus, & ſi unde ij diſceſſerant, in eodem loco conſederunt hoſtes ſæpius, viliores que omnes ſarcinas, ut eſt gens gazæ auidiſſima diripuerunt: ea tamen, in qua erat abdita ſacroſancta effigies Virginis, quam Luſitanus Prætor ſecum ſemper in expeditionibus habet, quam flexo veneratur genu quotidie precatione adhibita inſpectante exercitu, ſalva propter viam, & integra reperta eſt, obcæcatis, ut v detur

Franciſcus Bencius.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN